

directionis quæsitæ. Si uero significator dirigendus fuerit in angulo occidentis, aut habens latitudinem, occidit cum gradu anguli occidentis, scias ascensiones nadir gradus significatoris aut gra. cum quo occidit, & similiter scias ascensiones nadir gradus cum quo ipse planeta uel stella occidit in circulo regionis, & computa gradus qui fuerint inter hæc duo loca, & serua eos, quia erunt quantitas directionis quæsitæ. Causa autem qua operamur per ascensiones nadir significatoris & planetæ uel stellæ, ad quem uolueris dirigere, cum significator dirigendus est in angulo occidentis, est, quia quilibet gradus occidit cū ascensionibus, cum quibus oritur gradus illi oppositus, sicut dictum est supra cap. 3. Si uero significator dirigendus fuerit in angulo mediæ cœli, aut in angulo terræ, aut habens latitudinem mediat cœlum uel angulum terræ, cum gradu ipsius mediæ cœli, uel cū gradu anguli terræ, scias ascensiones gradus ipsius anguli, uidelicet, mediæ cœli uel anguli terræ, uidelicet illius anguli in quo fuerit ipse significator in circulo directo, scias similiter ascensiones gra. planetæ uel stellæ ad quem uolueris dirigere, uel gra. cum quo ipse planeta uel stella mediat cœlum uel abyssum in eodē circulo directo, & cōputa gradus qui fuerint inter hæc duo loca, & serua eos, quia ipsi erunt quantitas directionis quæsitæ. Gradum uero cum quo planeta uel stella mediat cœlum uel abyssum, & cū q̄ oritur uel occidit, scire poteris per canones primi mobilis. Sed si significator dirigendus nō fuerit in aliquo angulorum 4. prædictorū, sed remotus fuerit ab eis, tunc operatio redditur difficilior. Pro quo notandum est unum generale quod maxime requiritur in omnibus modis dirigendi, quando significator dirigendus fuerit extra angulos, uidelicet, quæ & quanta sit longitudo significatoris ab angulo. Cum ergo uolueris scire longitudinem significatoris ab altero duorum angulorum, uidelicet, mediæ cœli & mediæ noctis, siue fuerit citra angulum, uel ultra, scias ascensiones anguli mediæ cœli, uel mediæ noctis illius, uidelicet eorum respectu cuius quæris longitudinē in circulo directo, scias etiam ascensiones gradus, cum quo significator